

hanc aggreditur d. 1. Febr. A. 1685., eodemque anno d. 21. Jul. Theol. Ienae creatur Doctor. Obiit d. 15. Mart. A. 1708., cum Rector fuisset Numburgi Cathedralis annis III. mens. IX., Diaconus ibi infimus mediusque ann. XVII. mens. VI., Pastor & Superintendentens Schleusingenfis ann. III. mens. VIII., & Pastor primarius Scholaeque Senatoriae Inspector Numburgensis ann. XXIII. mens. VIII., omnem, autem, quam promeritus erat, dignitatem recte tuitus fuisset & optime.

*Videatur Concio, qua exequiae cobonestatae sunt, ex Rom. V, 8 - 11. a Prettenii in sacro Antistitis munere Numburgi Successore, Dn. M. Io. Martino Schamelio, dicta, cui annexa est parentatio, pronunciata a Dn. M. Adamo Schwend, Scholae Senatoriae tunc temporis Rectore.*

*Coniux Prettenio prior fuit Maria, Raphaelis Sacerdoti Camerarii Numburgi Senatorii primariique Filia, penatibus inducta d. 23. Jul. A. 1667. & mortua d. 20. Jun. A. 1676., posterior, Ipsi superstes, Dorothea, M. Io. Zaderi, Ecclesiae Numburgi Cathedralis Filia natu media, a d. 6. Febr. A. 1677. Et ex priore thoro prodierunt 1.) Io. Raphael, Medicinae Doctor & Archiater REGIO-ELECTORALIS SAXONICVS, cui vita erepta est A. 1704. d. 11. Apr. in incendio in Polonia Petrouiae, ubi ipse Rex tunc tendebat, exorto, & quo complures Nobiles & Ministri Regii hauriebantur, 2.) Bernhard Benjamin, qui muneribus apud summos Principes variis, bellicis aliisque, functus, Commissarius tandem fuit Bellicus, & paullo post Patris obitum, d. 10. Mai. A. 1708., Lipsiae animam exhalavit, 3.) Christophorus David, qui Iuris studio*